



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 107. Electionis decretum recitatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. A. C. 1573. cris Henricus ad aram maximam coram Petro Gondio Episcopo propositis Sacrosanctis Evangeliiis se jura cuique sua in Polonia, & Lithuania illæse servaturum jurato spondit, eodemque loco Franciæ Rex juravit, se servaturum ea, quæ per Monlucum, Ægidium Noallium, & Vidum Sangelfium Aginni Itiobrigum Præfectum Oratores suos in comitiis illis pactus esset. Tum Rex lautissimum hospitibus suis Poloniæ Oratoribus epulum dedit: perendie vero cum ad colloquium vocati essent, recitatæ sunt literæ Cæsaris, & Principum Germaniæ, quibus sacri imperii Ordines rogati, ut Henrico in Poloniam profecturo iter per Germaniam facere liceret, ipsi, & comitatui ejus transeundi copiam dabant.

§. CVII.

*Electiõnis decretum recitatum.**Thuan. l. c.*

Hisce peractis reliquum erat, ut decretum electionis publice, & ritu solemni recitaretur, porro id ipsum quoque actum est die nona Septembris in amplissima Palatii Aula, ad quam solemnitatem omnes Principes, Regni-que Ordines fuere convocati: ubi cum cuncti, qui ad hunc confessum conveniant, suas sedes occupassent, Legati Poloni clangentibus tubis ingrediuntur, ad

Sæcul XVI.
A C. 1573.

ad fores excepti, qui a Guisio Magno palatii Magistro ad regium thronum deducuntur, ubi depositum erat decretum arcæ argenteæ inclusum: porro ibi Posnaniensis Episcopus pauca præfatus de Polonorum erga Regem cultu, ac studio, ab eo demisse petiit, velletne; ut Senatus decretum, quo ejus Frater Henricus Rex Poloniæ dictus esset, ipsi coram afferretur, recitareturque, cum ergo responsum esset, id sibi placere, quantocius Sanockiensis Castellanus hoc Senatus consultum recitabat: hoc facto Henricus Rex actis Deo gratis coram Regni sui Ordinibus, ipsisque Legatis testabatur, quod decretum hoc honorificentissimum sibi gratissimum simul, ac jucundissimum esset. Postea Carolus IX. fratrem suum amplexus, ac deosculatus est, nec minus Franciscus frater, & Henricus Navarrorum Rex Sororius ad osculum pariter admissi: ceteri vero Principes, sed dispari dignatione, novum Regem venerati sunt: legatis quoque Polonis Regis sui dexteram deosculari datum est, ac demum tota hæc solennitas finem habuit.

§. CVIII.

Poloniæ Rex Lutetiam Parisiorum ingressus.

*Hist. Eccles. Tom. XLIX. M Alte**